

CONCILIVM PROVIN. COLONIEN.

terdum omnem prouentum emungunt, vt residui redditus, qui rectoribus ecclesiarum permittuntur, nimis tenues sint & exiles. Quamobrem nostræ curæ erit, vt tanta portio rectoribus istis assignetur, vnde iura episcopalia soluere, & congruam sustentationem habere possint.

Vbi redditus non suffecerint, quid agendum. Cap. V.

Ex Viennē. concil. cleēm. si vna,
Vbi vero redditus ecclesiarum non suffecerint, iuris consilium sequendum putamus, Nempe vt duæ vniantur, aut si id graue videbitur, saltem vna, aut plures etiam vicariæ, quæ ad altaria in eiuscemodi ecclesijs fundatæ sunt, ipsi ecclesiæ parochiali (vt vocant) incorporentur, Sic tamen, vt quoad fieri potest, per parochi officium, ob quod vicariæ illæ fundatæ sunt, minime negligatur. Porro, decimas potissimum parochis ac ecclesiæ ministris deberi non dubium est. Nunc quum illæ passim a laicis magna ex parte vsurpentur, neque facile ex eorum manibus diuelli possint, videndum num diligenti cohortatione, aut alia via iuri consentanea, parochi (cui ecclesiæ redditus ad victum non sufficiunt) hinc aliquid emendicari possit.

Denarius consuetus, sed duplicatus pendendus. Cap. VI.

Postremo loco iustum ac decens putamus, vt singuli parochiani denarium illum consuetum, sed duplicatum, saltem in anno quater, videlicet in festis illis maioribus, veluti in Natali dominico, Paschate, Pentecoste, Assumptioneque virginis gloriosæ, Id est, singulis festis duos denarios parochi pendant. Neque enim tantillum offerre vlli onerosum esse aut videri potest. Quis enim tam sordidus est, qui non æquum putet, modicum quid caduci ac temporalis subministrare illi, a quo spiritualia ac æterna vicissim repetit. Certe omnes scire debent, eos, qui in sacrario sunt, edere, Et qui altario deseruiunt, cum altario participare. Nam & dominus ordinauit his, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. Qui se vnica solutione (quæ vno albo rotato fiet) liberare volet, id ipsi liberum esto. Ne vero parochus aut in contentionem aut suspensionem trahatur, potius hæc pecunia per ecclesiæ economos aut alios probatæ fidei viros colligetur, ac ipsi parochi numerabitur.

1. Corin. 9

Laudabilem consuetudinem Agrippinæ Coloniarum per hæc non abrogari. Cap. VII.

Laudabilem tamen consuetudinem in ciuitate nostra Coloniae, erga sanctam ecclesiam, pia deuotione fidelium introductam, per has nostras synodales constitutiones nolumus immutare, donec ipsis parochis intra eandem ciuitatem de sufficientiori victu fuerit prouisum.

De cons